



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VI. De corruptione Specierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

actu sequenti, sed quia, ut sæpe dixi, multitudo agentium conducit ad operationem intensiorem, unde plus possunt plures actus repetiti, etsi æqualis intensiois, quam quilibet eorum seorsim.

Dices: Secunda species non repræsentat sæpè obiectum cum eadem circumstantiâ, nam iam video Petrum hic, siam in foro, iam in agro; ergo hæc species non faciunt intensiorem. Primò respondeo, in prædicto casu duas produci species de Petro in phantasiâ & in intellectu, aliam de illius substantiâ, quasi abstractâ ab ubicatione, & hæc intenditur per sequentes actus; aliam de illo in tali loco, & hæc non intenditur, nisi fortè in eodem loco videatur. Unde fit, ut si Petrum millies viderim, non tamen in eodem loco, retineam optimè species de illo, loci autem non recorder; si autem semper in eodem loco eum video, & illius & loci clarè recorder. Secundò respondeo, licet in his speciebus non daretur intensio ex actibus repetitis ob rationem dictam, dari tamen in alijs, quæ in eisdem circumstantijs cognoscuntur, v. g. in obiectis scientiarum.

212 Dices Secundò: Ergo species per actus subsequentes intenduntur sine termino. Nego sequelam, quia habitus habent terminum intensiois, ultra quem non augentur; & hinc fit ad aliquem statum quem pervenire, in quo tantam habeat facilitatem circa obiectum, ut ex repetitione actuum non acquiritur novam, quod probabile est contingere in oratione Angelicâ, v. g. quam non scio hodie melius memoriter quam ante annum, nec meum nomen, aut alia quorum valde intensas habeo species.

SECTIO VI.

De corruptione Specierum.

Dico Primò: Species visus corrumpuntur in instanti quo deficit obiectum. Quòd si, postquam attentè Solem v. g. intuiti sumus, etiam clausis oculis videamur intueri aliquam lucem, id oritur, non ex eo quòd verè sint species lucis in oculo, sed propter vehementem phantasiæ imaginationem, vel quia illuc concurrerunt spiritus vitales ignei, qui aliquam habent lucem. Quòd autem species soni aliquantulum durent transacto sono, ostensum est suprà.

213 Circa internas species phantasiæ & intellectus grauior est difficultas: quidam enim censent, eas perpetuò durare, obui tamen aliarum aduentu, & inde oriri, ut post longum tempus penitus sint ineptæ ad concurrendum, nisi exerceantur. Hi Auctores solâ voce difficultatem explicant: rogo enim, quid sit eas species obrui; cum enim vna non sit supra aliam, sed omnes inuicem immediatè penetratæ, & in eodem loco; non video, cur prima à secunda obruatur potius quam è contrariò. Alij verò dicunt, eas corrumpi otio, quia per otium generatur qualitas occulta illis contraria. Miror qualitatem hanc occultam, & tamen ab his Auctoribus agnitam, certè ex ipsis terminis apparet, omnino eam gratis fingi ab his, non secus ac de qualitate occultâ Xauelli dixi in Physicis. Præterquam quòd non potest reddi ratio, cur ea qualitas contraria generetur otio, aut cur solùm corrumpat species præcedentes

dum sunt otiosæ, & non impediat etiam productionem novam illarum. Adde, ab his Auctoribus & merito doceri, species non habere contrarium; què ergo hæc doctrina coheret cum qualitate contraria occulta. Tandem otium est pura cessatio ab actu, quomodo ergo purum nihil est tam actiuum, ut producere possit positivam aliquam qualitatem?

214 Melius ergo docetur, eas species talis naturæ esse, ut petant in absentia actuum, à quibus productæ sunt, aliquo tempore conservari, non tamen semper, etiam si nullum adueniat contrarium. Hæc probatur, quia nos repugnat, imò de facto datur entitas petens naturâ suâ conservari per aliquod tempus, non tamen semper, licet adueniat contrarium, nec deficiat causa à quâ conservatur. Sed si aliqua entitas potest esse huiusmodi, etiam tales esse species impressas, videtur ostendere experientiâ, quâ nouimus, eas, nisi actibus novis intenduntur, post aliquod tempus deperdi; ergo dicendum est, eas esse naturâ suâ defectibiles. Minor & consequentia sunt certæ: Maior sola probationem exigit. Eam probo ex impulsu impresso lapidi à proiciente, ille enim impulsus petit durare aliquantulum, & conservari à Deo, non tamen semper, paulatim enim deficit.

215 Respondent aduersarij, illum impulsus retardari à gravitate lapidis ei contrariâ, gratias enim tendit deorsum, impulsus verò iursum. Hanc responsionem ego facile reicio, Primò, quia impulsus ille petit conservari à Deo per aliquod tempus, contra gravitatem lapidis, & tamen non petit conservari semper, cum gravitas sit eadem in primo instanti, quæ postea; ergo poterit esse aliqua entitas quæ petat conservari per aliquod tempus, non tamen semper, licet in primo instanti eodem modo se habeant causæ quo in sequenti. Contrà Secundò, quia si quis per perfectum planum longum proiceret globum, tandem cessaret ille impulsus, non tamen à gravitate illi contrariâ; ergo sine contrario potest impulsus esse defectibilis. Maior & consequentia sunt certæ: Minor probatur, quia impulsus ille non tendit sursum contra gravitatem globi, neque quia globus ille magis moueatur per perfectum planum, distabit magis à centro, aut erit magis violentus; ergo non cessat ille impulsus ob gravitatem contrariam globi. Neque ob resistentiam aëris, quia (ut alibi dixi) non resistit aër motui corporum.

216 Secundò probo suprà positam Maiorem, in sono: ut enim dixi suprà, & experientia ostendit, transacto ictu, & corporum compressione quæ fuit causa soni, fit auditio, vel saltem sonus durat, ergo durat ipse sonus transactâ eius causâ, si vnum sonum ab alio produci doceas, vel saltem durabunt species illius, & tunc conservantur à Deo. Hoc negari à nemine potest. Iam videntur sic: sonus ille, aut species soni, etsi durent aliquantulum præteritâ illarum causâ secundâ, tamen breui pereunt, ut experientia docet; sed non pereunt ob contrarium, quia nec species soni, nec sonus ipse contrarium habent, ut omnes fatentur; ergo pereunt quasi à se; ergo potest esse aliqua entitas, quæ in absentia causæ secundæ petat aliquantulum conservari à Deo, non tamen in perpetuum, licet careat contrario; ergo species erunt

erant eiusmodi, cum eas videamus aliquantulum conseruari, non tamen semper; nec contrarium illarum inueniamus, quam doctrinam eodem modo applico habitibus voluntatis. Id confirmo euidenter; nam in communi & probabiliori sententia, distinguente durationem, ea duratio est natura successiua, & qualibet ad vnicum solum instans determinata, quo transacto sine defectu causae aut subiecti perit. Cur ergo non poterit esse alia entitas adhuc longioris vitae, quae naturam suam per decem v. g. dies durare petat, & non amplius?

217 Dices Primò: Repugnat, ut causis eodem modo existentibus, si antea effectus conseruabatur, non conseruetur etiam modò; ergo non potest esse illa entitas, quae si semel aliquo tempore à Deo solo conseruatur, non conseruetur perpetuo, casu quo non adueniat contrariu. Respondeo, negando Antecedens: si enim illa entitas naturam suam est fluida (ut esse posse, probatum est iam) licet causae existant eodem modo, nunc destruetur, non verò antea, quia iam tamdiu durauit, quamdiu petit; antè verò non fuit destructa, quia tempus suae vitae nondum impleuerat.

Dices Secundò: Quidquid sit de hoc principio, in speciebus potest esse alia ratio cur pereant, defectus, scilicet virtutis intellectus, ad conseruandas tot species. Respondeo Primò, si ex defectu virtutis id proveniret, non magis deberet destrui species antiqua quam noua: cur enim intellectus à se eiceret antiquas species ut nouas reciperet, & non potius antiquas impedirent ne nouae intrarent. Nec potest dici id à Deo fieri, nam de hoc ipso dubitamus, cur Deus debet magis antiquas destruere quam nouas, & cur non potius ex omnibus aliis aliquos gradus auferret, ut sic nulla species omnino periret, & locus esset nouae?

218 Secundò reiciuntur, nam intellectus ad sustentandas species videtur esse satis fortis; quod declaratur, ponendo, animam hominis magnae memoriae esse aequalis perfectionis, & non maioris cum anima alterius qui minorelem habet memoriam, in quibus sic argumentor: Illa anima potest simul conseruare species de mille obiectis, ergo quòd altera non retineat nisi centum, non provenit ex defectu virtutis in anima conseruante, sed quia illae species per se perierunt.

Sed hinc replicabis contra me: Illae species acquisite sunt eiusdem rationis in vno ac in altero; cur ergo minus in vno durant, quam in altero? Certè id non videtur posse in earum naturam reduci, sed debet quari altera causa, quae inuentà, in omnibus poterit dici eas species perire, non recurrendo ad naturam illarum parum stabilem & fluidam. Respondeo, hanc replicam probare, in aliquibus non habere eas species ex defectu dispositionis in phantasia, quod ego non nego, semper autem manet verum quod contendo, scilicet ex defectu virtutis ex parte subiecti non cessare eas species; anima enim, quae est subiectum, habet semper virtutem, etiamsi aliae species adueniant, quia altera anima ei aequalis habet virtutem tam multas retinendi. Secundò manet verum in his, qui non ex nouis speciebus, sed ex otio amittunt species, cum alias ex se sint bene dispositi ad retinendum, non posse id reuocari nisi in naturam fluidam specierum: nam exerci-

tium, & repetitio actuum circa cognitionem de Petro, non potest villo modo conseruare dispositiones requisitas pro duratione speciei de Antonio, quod euidenter ostendo. Nam non requiritur ex parte cognitionis diuersum quid ad conseruandam speciem de Petro, quam ad conseruandam de Paulo; ergo repetitio cognitionum de Petro magis quam de Paulo non conseruat dispositiones speciales pro specie de Petro magis quam de Paulo; ergo si illud exercitium facit ne pereat species de Petro, non autem facit ne pereat species de Paulo, non potest villo modo id reduci in conseruationem dispositionum; ergo debet reduci in immediatam conseruationem ipsarum specierum, quae si non fuissent auctae nouis actibus, perissent prorsus etiam stantibus dispositionibus pro illis; ergo, quia habent naturam fluidam, ut ego contendo. Et ex hac solutione obiectionis contra me factae ego certior meae doctrinae confirmationem deduco.

Hinc etiam reiciuntur, qui in defectum ipsius cerebri ubi resident species phantasiae, à quibus pendet intellectus, id reducunt, quasi in nutritione amittatur aliquid cerebri, & consequenter species in illo residentes. Reiciuntur, inquam, quia si quis repetat actus de eo obiecto, non propterea diuerso modo nutritur, & tamen tunc non corrumpitur ea species; ergo, quando fuit corrupta, non ex defectu subiecti, sed ex se perit, modo à nobis dicto.

Dices Tertio, si semel videat quis aliquem hominem, etiamsi postea post longum tempus illum iterum non videat, recordatur tamen, se vidisse illum olim; ergo species illae non erant corruptae. Huic argumento tenentur & ipsi aduersarij respondere, siue enim ab humore, siue à qualitate contraria, siue defectu virium, siue ex otio, omnes admittunt, corrumpi species aliquando, nisi repetitis actibus intenduntur. Respondeo ergo, in eo casu non fuisse corruptam eam speciem, quia in magnà intentione acquisita fuit, in aliis autem casibus locum habere nostram conclusionem, saepe enim contingit, nos vidisse aliquem hominem, nec tamen postea vlatenus recordari illius, ac si numquam illam vidissemus, quod signum est priorem speciem quia remissam, corruptam fuisse modo explicato; imò ita passim contingit, videmus enim singulis momentis novos homines, quos si statim secundo videamus, recordamur, nos illos vidisse; quod est signum aliquam speciem in nobis de illis mansisse, si autem eos non tam citò videamus, sed post annum verbi gratia, iam penitus nō recordamur illorum, etiamsi omnem ad hoc conatum adhibeamus. Confirmo euidenter: licet enim eorum quae nobis contigerunt postea recordemur, negare tamen nullus potest, nos eam intentionem ac viuacitatem non recordari post decem v. g. annos, quā vno quadrante postquam res ea contigerat recordabamur illius; ergo perit aliquid de intentione eius speciei, ergo est corruptibilis. Ibi enim nec potest recurri ad defectum subiecti, si enim id esset, tota species periret; nec ad defectum dispositionis ex parte cerebri ob eandem rationem; nec ad soporem specierum, iam enim supponimus excitari, ergo debet esse corruptio aliquis eius speciei. Nec video, quid hic dici possit.

Hinc colliges, malè ab aliquibus doceri, ideo

eas species non excitari, quia deest occasio; ostendi enim, etiam si ipsemet homo iterum compareat, & consequenter valde magna & summa quæ potest esse, detur excitatio, non tamen excitari tales species, & saltem non cum eâ viuacitate quâ prius. Nec video, quomodo aliter id explicari valeat, nisi planè dicantur petiisse illæ species per se vel totæ, vel magnâ ex parte. Nam, ut in exemplo posito constat, quando quis transit per locum aliquem, videt ibi hospitem, videt famulos; si statim secundo occurrant, recordatur se eos vidisse: si verò non nisi post duos tréve annos, quis adeò bonæ erit memoriæ, ut ex vno solo conspectu, per vnicum ictum oculi, noscat postea eum hominem vel post quadraginta annos? Ibi autem euidenter ostendi, nec ad defectum subiecti, aut causæ efficientis posse recurri: nec item ad dispositiones diuersas. Non ergo restat alia via, nisi quòd fuerint immediatè per se destructæ; quod mihi ex dictis euidentissimum est.

Rogabis, an aliquando contingat per nutritionem amitti totam partem cerebri in quâ recipiuntur species phantasiæ, & sic omnes illas perire. Respondeo Primò, ex dictis paulò antè constare, hinc non posse reddi rationem, cur non recordemur obiectorum. Respondeo Secundo, fortè aliquid cerebri hoc modo mutari, & aliquas species amitti. Addo tamen, probabilius esse, etiam si pars aliqua cerebri mutetur; imò, etiam si totum successu temporis, non tamen ideò perire absolutè species phantasiæ. Hæc est contra ferè omnes. Probat tamen apertè Primò, quia potest dici, species, quæ sunt in intellectu de eis obiectis, postea excitari ex similitudine cum aliis, etiam si nullæ de eo obiecto tunc sint in phantasiâ. Imò supra dixi, valde esse probabile, sæpè immediatè in intellectu excitari species aliquas memoratiuas, independentes ab operatione phantasiæ: tunc autem posset dici, produci ab eo actu spirituali, simul cum phantasiâ, speciem materiale de eo obiecto, quæ recipiuntur in nouâ parte cerebri. sicut enim intellectus cum phantasiâ producit sibi species spirituales, cur non phantasiâ cum intellectu producent sibi materiales? Ergo ex eo, quòd detur memoria rerum olim factarum in infantia, non sequitur, durare aliquam partem cerebri, in quâ tunc primò fuere productæ ille species. Secundo melius probameam sententiam: quia sicut, quando in manu aut facie est semel signum aliquod, semper producit in eâ parte quæ de nouo acquiritur; ita etiam in parte illâ subtilissimâ cerebri, quæ vnâ vice producit, alterâ amissâ, produci debet alia species similis ei, quæ fuerat in alterâ subtilissimâ parte tunc deperditâ, idque fieri à specie remanente, quæ habet virtutem producendi aliam similem sibi in eâ nouâ parte cerebri; quia est subiectum capax. Sicut species in aëre existens, producit aliam in aëre sibi immediatè, & ea, quæ est in primâ parte pupillæ, aliam in sequente: cur etiam ea, quæ est in parte cerebri, non producat etiam sibi similem in nouâ parte cerebri? Nec in hoc vllam planè video vel apparentem rationem, quâ reici possit.

An verò absolutè tota pars cerebri mutetur, non huius est loci. Ego existimo, partes ita à stomacho distantes non facillè vi humidis radicalis

totas mutari. Vnde absolutè puto probabiliter, non mutari totum cerebrum vi actionis nutritiæ.

SECTIO VII.

De Specierum diuisibilitate.

INQUIRIMUS, an obiectum diuisibile, v. g. albedo palmaris, emitat vnicam indiuisibilem speciem sui, quæ totam illam albedinem representet, an verò iuxta partium distinctionem, diuersas etiam producat partes speciei, quæ tamen omnes in eadem pupillâ recipiantur. Difficultas hæc ad omnes species, & materiales & spirituales extenditur.

SYBSECTIO PRIMA.

Nostri sententia.

PRIMA CONCLUSIO. Species externæ obiecti diuisibilis diuisibilis sunt. Probat: vna pars illius obiecti emitit species independentem ab aliâ, v. g. vna pars albedinis muri independentem ab aliâ; ergo emitit species distinctas à speciebus alterius; ergo hæc species sunt diuisibiles iuxta obiecti diuisibilitatem. Vtraque consequentia est bona: Antecedens probatur, quia vna pars parietis videatur, nullatenus pendet à visione alterius, illâ enim ablata vel cooperata, adhuc altera videtur; ergo vna non pendet à visione alterius; ergo non videtur vtraque per eandem speciem, sed per distinctas & independentes inter se, quarum vna potest sine alterâ existere, & producere visionem.

SECUNDA CONCLUSIO. Pars speciei representans partem muri v. g. non producit ab omnibus aliis partibus obiecti, sed solum à parte visâ. Hæc etiam probatur facillè, quia si produceretur ab omnibus, esset species omnium, & consequenter per illam solam omnes repræsentarentur, quod est manifestè contra experientiam; ergo quælibet pars speciei, sicut solum repræsentat partem obiecti, ita à solâ illâ parte producit. Hæc ratio pro hac Conclusionem, ut ex dicendis infra constabit, non est adeò solida, ideò sequentibus attende. Et primum posset dicere, totam albedinem videri per vnicam speciem indiuisibilem, productam à totâ albedine: quando autem auferretur pars albedinis, destrui præcedentem speciem, & eius loco aliam indiuisibilem, quæ repræsentat albedinem remanentem, produci, sicut in simili de visione animæ rationalis, & de vocatione Angelicâ docetur ab his, qui censent rem spiritalem non posse esse diuisibilem.

Sed contra Primò, quia incredibilis est tam frequens corruptio specierum, & ex eo quòd vnicum punctum cæli vel de nouo appareat, vel de nouo occultetur, totius cæli species corrupti, præsertim cum nulla sit necessitas ponendi eiusmodi successiones specierum. Contra Secundò, & efficacius, quia in aëre iuxta fenestram v. g. datur species magnæ partis cæli: atqui illa non est vnica & indiuisibilis, sed composita ex partibus; ergo species obiecti diuisibilis est composita. Consequentia est euidentis: Maior certa, quia è 221 fenestra potest videri mediæ cæli, & ne hinc pendat